

iam Sancto competit: sed respectu ipsius actus si-
ve facultatis generativa, qua neq₃ Filio, neq₃
Spiritu sancto convenit.

69. Caterum, ut ad secundam Divinitatis
personam veniamus, FILIVM nimirum, duae
cum primis de eo Quaestiones propter varias vari-
orum haereticorum Strophas, in disquisitionem
veniunt: Quarum prior est, de aeterna eius Ge-
neratione: Posterior, de eiusdem Divinitate.

70. Etsi verò D. Hieronymo admonente, fas
non est servo, de natalibus Domini sui disputare,
& Unigeniti ex patre generationem, silentio ve-
nerandam Basilius admonet: Quin scriptura
ipsa eam ἀρρητον planè & ἀκατάληπτον pro-
nunciat: nihil tamen obstare arbitramur, quin
scripturarum secuti oracula, inq₃ vera pietatis
studio non rationis, sed fidei oculo mysterium
hoc metientes, Quid mens pia de Generatione
Filij DEI credere necessum habeat, paucis in-
dagemus.

Hier. in
Sym. Ruf.

71. Eodem sanè pietatis studio, Nicena Sy-
nodi Patres flagrantés, Filium Lumen de Lu-
mine, suo in Symbolo definire quasi voluerunt.

72. Et Epistola ad Hebraeos, eundem ἀπαύ-
γασμα τῆς δόξης τῆ πατρὸς καὶ χαρα-
κτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτῆ appellat.

Heb. 1, 3.

73. Et sanè nisi de Generatione Filij, (Ge-
nitum enim esse, interna Filij est proprietas Cha-
racte-

ra-